



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

LV. Monialis ex confractis ossibus repente sanatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

eius facello lucebat, statimque infans, fletu vitam redisse testatus est.

## LIV.

*Miracula  
centum & eo  
plura mensis  
vnius spatio  
Munebregæ  
patrata.*

*Iridens mi-  
racula S. Ig-  
natij puniur.*

Sed hæc, gesta dumtaxat Munebregæ, extra modum ferantur si velim singula persequi, vno enim tantummodo mense supra centum illic, virtus S. Ignatij patrauit miracula. In iis paralyti annorum duodecim absolutus; elingui vocem articulare vix vnam valenti explicata est lingua; cæcis quatuor, data videndi facultas, & eorum vni labra exedens cancer extinctus; multis brachiorum, & crurum stupor emortuus, actiuo spiritu animatus; cuidam ex iis pes putridus proximèque refecandus, ad vsum pristinum reductus. Ferunt nihilominus acta illic iuridicè confecta, & scriptis inde relata literis, sanatarum prodigia mentium plura fuisse quam corporum; hominesque sceleratissimos in ipso aditu facelli, ad aspectum illius imaginis magnoperè permotos; dolore, ac lacrymis emolliiri, nec prius egredi, quam confessionis veræ piaculo admissorum conscientiam purgarint. Hæc dum venerabilis fama, vicinis circum oppidis ostentaret, vir pius Calataiudensis quæ spectauerat ipsemet, multa cuidam amico memorabat, sed is amici credulitatem inurbanè, sancti debilitatem impiè illudens, itane ait, Ignatij miracula Munebregæ? quid potest miraculi præstare tabula? versusque ad asserem qui magna mole innitebatur parieti, quasi supplicabundus fannio; facere, inquit, Munebregæ dicunt miracula tabulam, fac tu hic item Calataiude ô mea tabula. Mimam vix egerat, cum resiliens è muro, magno impetu asser in eum reuoluitur, & graui pondere caput, corpusque sacrilegi atterit, condigno sanè precatione illius miraculo.

## L.V.

*Monialis ex  
confractis  
fribus repente  
sanatur.*

Isabella Rosellia Barcinone, S. Elizabethæ monialis, annum agens à sexagesimo septimum, lapsa ex edito, coxendicem fregerat, ossibus in schidia comminutis anno 1601. hanc carnificina medicationis per dies quadraginta, vt cruciatibus ita patientiæ merito auxit. Accessit tumor cum acutissimo dolore, aliaque sabinde, ac demum amens furor ex quibus omnibus vltra paucos dies non fore in viuis medici affirmarunt. Tota ergo ad S. Ignatium ab inanibus præfidiis conuersa, soluit coxendicis fascias, emplastra proiicit, S. Ignatij reliquias, comminutis ossibus apponit, tertio Pater, & Aue recitat, sancti viri implorans salutarem manum. Postque tam breuem precatiunculam, en ossa committi, & conglutinari, detumescere carnes, dilabi dolor; illa miraculum exclamare, vestes poscere vt illicò surgeret, quod cum facere vetarent moniales, vt nihil iam obstare, vetantes doceret; quod prius sine cruciatu non poterat crus coram expedire ac facile mouit. Iussu itaque valere lectulo, & vltro citroque ambulans, parti sanatæ plus inesse vigoris ostendit, quam vnquam affectæ.

## LVI.

*Desperata  
curacionis  
Febriens sa-  
natur.*

Ioannes Leida Maioricensis anno huius sæculi quinto, ex febris acuta iacuit tam impotenti stomachi nausea, morbique augmento, vt fore lethalis primum creditus sit; deinde sanationis expers ob neglectam sanguinis missionem quæ præscripta ægroto fuerat, Verum vt erat in S. Ignatium mirè